



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Sectarum æmulatores vel opinionum sæpenumero reprehensibiles
habentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Offic. secul. venal. 433

*Secularia officia vendere, vel emere
turpe est, & perniciosum.*

Officiorum secularium venalitas licet speculatiue loquendo sit licita (quia venditio & emptio habet materiam vendibilem) vt tamen ad communem humani generis morem contrahitur, turpis ac perniciofa reipu. non parum est, quoniam viri digni reputant indignum vt quod suæ virtuti debetur, pecunia emant, & indigni communiter habent officia, vbi sunt venalia. Tollitur & ratio studiorum bonorum, & virtutum, ex eo quod non nisi pecunia habentur officia. Et oportet vt non virtuosi, sed pecuniosi ibi inueniantur, vbi vt perniciosi honorantur, imò honorant seipfos emendo officia honorabilia. Præterea qui prius emit officium, quum non emerit nisi vt lucretur, oportet vt vendant actus officii, & plerumque iustitiæ, & inhumanus sit in gratiis, tanquam ius habeat vendendi, & quæ sunt iustitiæ, & quæ sunt gratiæ, quia prius emit. Testatur magistra rerum experientia, ruinam publicam vbi officia sunt venalia. Et quia actiones humanæ iudicandæ sunt secundum quod in pluribus inuenitur, ideò huiusmodi venalitates vt abominabiles exterminandæ sunt.

*Sectarum æmulatores vel opinio-
num sæpenumero reprehensi-
biles habentur.*

Opinio tripliciter est illicita. Primò ex eo quod voluntaria: nam in omni genere scibilibum voluntaria est illicita: quia non eo quod magis placet, sed eo quod rationabilior est, non ex voluntate, sed ratione amplectēda est opinio. Et hinc errant sectarum æmulatores, opiniones suæ sectæ sequentes non vt rationi magis consentaneas, sed quia nati sunt

D d 4 aug

434 **Opinione vti.**

aut nutriti in secta illius doctrinæ. Secundo ex non relatione ad suam regulam: omnis enim opinio examinanda est ad suam regulam. Et quia in his quæ sunt fidei & morum, regula est sacra scriptura exposita ab Ecclesia catholica, non excusatur aliquis à quantumcunque rationabili opinione in huiusmodi, si suspecta est communi Ecclesiæ seu Apostolicæ sedis. Et hinc damnantur credentes hæreticorum & antiquorum & nouorum adherentes doctrinis reprobatis aut suspectis saltem apud sedem Apostolicam. Tertio, ex modo: dum nimis firmiter inhæretur opinioni: & asseritur vt certum atque indubitatum, quod tamen est intra latitudinem opinabilem. Et hinc sæpe erratur ex nimio affectu ad nostra, & minore quàm opus fuerit examine, resolutione ac iudicio, dum prohibita accipiuntur vt demonstrata.

*Opinionis vsus quandoque licitus,
quandoque illicitus.*

Opinione vti vt regula operum interiorum & exteriorum, est quandoque licitum, & quandoque illicitum. In credendis quidem illicitum est: nisi submittendo opinionem regulæ superiori, scilicet sanctæ matris Ecclesiæ, & Apostolicæ sedis: quoniam ambiguitatis aliquid habens regula, qualis est opinio omnis, resolueda est in regulam certam ne error possit in fide inueniri. In operandis verò nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cuiuscunque assumere vt regulam operis: quoniam eo ipso quo operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguae: quia opinio omnis ambigua est, vt pote cum formidine alterius partis. Et quia præsupponitur quod non eligatur tutior pars, consequens est vt operatio cõmittatur regulæ ambiguae ad casum peccati.